



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia  
Sacrarum Literarum Primarij Professoris. Tractatvs De  
Legibvs, Ac Deo Legislatore**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1619**

Cap. XV. Quæ forma externa, seu sensibilis seruanda sit in ferenda lege  
humana.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94074](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94074)

Propter tantam necessitatem boni communis, ut ad subueniendum illi possit quis suis bonis privari, quia per talem actum est ius acquiritum de se firmum, & stabile. Alij verò sunt actus, qui licet sint validi, sunt tamen infirmi aliquo modo, quia ex aliqua parte contra legem facti, & hi possunt facilius per subsequentem legem irritari: nam in illis propriè habet locum ratio facta, quod talis irritatio tunc est iusta pena, & ideo ex rationabili causa potest per legem fieri.

Atq; hinc tandem constat vltima pars assertionis, nimirum, ut hæc extensio legis ad actum præteritum tam in hoc, quam in præcedenti casu admittatur, necessarium esse, ut in lege ipsa sit satis expressa. Quod docet Panorm. in cap. *cognoscentes*, de constit. Angel. verb. *lex n. 10. Sylu. n. 23.* & sumitur ex d. c. 2. & vlt. de constit. Vnde si dubium fuerit, potius lex coarctanda est ex generalibus principijs iuris, quod pœnæ, & odia sunt restringenda, & quod leges modo maximè connaturali interpretanda sunt: ostensum est autem extensionem legis nouæ ad præteritum quodammodo esse præter naturam legis, quæ est regula futurorum. Aduertere tamen hic vltimo oportet, aliud esse, legem simpliciter disponentem cadere in actus præteritos: aliud verò non includere vlllo modo res præteritas, seu iam factas. Hic enim solum prius affirmamus, & id probant iura, & rationes adductæ: secundum autem nec necessarium est nec verum: nam lex prohibens vsum talis libri, aut vestis, prohibet quidem vsum tantum futurum, tamen prohibet illum, etiam circa librum, aut vestem prius factam, si absolute, & simpliciter disponat, quia illa tantum est quasi materia remota legis: lex autem noua optime potest versari in re antiqua, ut in materia remota. Item sepe potest lex prohibendo aliquid futurum, impedire actus iam inchoatos consummetur, ut si lex denuo prohibeat, illegitimum profiteri, potest extendi ad eum, qui iam erat nouitius, quando lex noua edita est, quia etiam ille tantum est materia remota illius legis. De quo puncto videri possunt multa, quæ in vtramque partem eruditè tractat Nauarr. in dicta except. 22. ferè per totam.

Panorm.  
Angel.  
Sylu.

Nauarr.

13.

Lex non loquitur  
de præterito  
regulatur  
in vltimo  
quo compræ  
henderet.  
Bart.  
Dald.  
Panorm.  
Sylu.

Sed quæret hic aliquis, an lex expressè loquens de præterito extendatur ad præsentia, vel futura. Respondeo breuiter, regulariter loquendo totum tempus comprehendere. Ita docent Bart. in l. *cum lex*, ff. de legib. Bald. & alij in l. *vnice*, ff. de cond. ex lege. Panormit. in cap. 2. de constit. in princ. Angel. verb. *lex n. 10. Sylu. n. 24.* Et ratio est, quia lex semper loquitur. l. *Arriani*, C. de heret. & ideo licet lex dicat, qui facit, vel fecit hoc, semper loquitur contra eum, qui in quolibet tempore facit, vel quociescunque de illo dici potest fecisse. Item cum lex per se, & natura sua versetur circa futura, ad illa maximè ferri censetur, etiam si per verba præteriti, vel præsentis loquatur. Intelligendum autem hoc est, nisi materia legis obstat, aut aliquod absurdum sequatur: ut dicti auctores limitant ex l. *cum lex*, ff. de legib. dicente, *Cum lex in præteritum quid indulget, in futurum vetat.* Quia si indulget etiam in futurum, daret occasionem delinquendi, vnde potius indulgendo supponit, actum esse dignum pœna, & ideo limitat indulgentiam ad præteritum, ut in futurum prohibeat, aut prohibendum relinquat.

CAPVT XV.

Quæ forma externa, seu sensibilis seruanda sit in ferenda lege humana.

1. Diximus de materia legis ciuilibis, superest dicendum de forma, quæ potest duplex cogitari, vna externa, & sensibilis, quæ est veluti corpus legis, alia interna, & quasi spiritualis, quæ est veluti anima, seu

ratio legis. De hac posteriori dicemus in cap. 17. nunc de priori. Supponimus autem ex dictis in cap. 1. legem ciuilem, quæ subditis datur, constitui in genere signi indicantis Principis voluntatem. Vnde necesse est, ut tale signum sit sensibile humanæ cognitioni accommodatum. De hoc ergo signo in generali constat, debere esse tale, ut modo sensibili Principis voluntatem indicet: subditis, alioqui non esset signum humanum, & consequenter non esset lex humana. hæc ergo significatio est de substantia huius legis. Quibus autem verbis exprimi debeat, dicemus paulo inferius. Vnde inter condiciones legis ponit Ildor. ut sit manifesta, id est, clara, ne per obscuritatem quid in captionem contineat, ut ait lib. 5. Erym. c. 21. & c. erit autem, dist. 4. id est, ne obscuritas sit occasio deceptionum, & ambiguitatum. vnde etiam conuenientissimum esse solet, ut leges simplicibus, breuibus ac claris verbis ferantur: nam quando proluxiores sunt, plerumque sunt magis perplexæ, & ambiguitatibus expostæ.

Ex quibus colligo in forma legis sensibili duo posse distingui: scilicet materiale signum, ut vocem vel scripturam, & significationem, ex quibus, si inter se comparentur, scriptura, vel sonus materiale quid est, significatio autem formale; ex vtroq; verò completur forma sensibilis legis constituens, seu quæ est ipsamet lex: nam cum lex sit actus humanus, est etiam quædam forma. Declarari potest exemplo formæ sacramentalis, quæ est in verbis, in eis tamen sonum verborum tanquam materiale quid, & sensum, seu significationem tanquam formale distinguimus, & ex vtroque formam sacramentalem constitui dicimus. Ita ergo est suo modo in lege, consistit enim in signo externo, quod materiam aliquam requirit, eius tamen essentia in significatione, & sensu posita est. Vnde quod August. lib. de catechiz. rudi. cap. 9. generatim dixit, & refertur in cap. sedulo, dist. 38. *Præponendam esse verbis sententiam, ut præponitur animus corpori,* & quod de Euangelio dixit Hieron. ad Galat. 1. *Non in verbis Scripturarum esse Euangelium, sed in sensu.* cap. Marcion. 1. q. 1. hoc ipsum cum proportione de lege humana dici potest. Nam materialia verba nec obligationem inducere, nec alium effectum legis habere possunt, nisi quatenus indicant Principis voluntatem, & imperium: est ergo de formalitate legis, ut sit sensibile signum. Explicandum vero superest, quale esse debeat, & an solemnitatem specialem requirat, ut in ratione legis plenè constitutur, ideoq; ad externam legis formam pertineat. Distingui autem possumus solemnitatem hanc, vel antecedentem, vel concomitantem, seu inexistentem ipsi legi, vel subsequenter, & de singulis inquirendum est.

Ildor.

August.

3.

Vi lex prudenter constituitur naturaliter esse opus multorum consiliorum: at in rigore non esse necessarium. L. humani.

Circa primam dubitari potest, vtrum ad ferendam legem præcedere necessariò debeat multorum consilium, atq; suffragium, in quo breuiter dicendum est, hanc diligentiam esse moraliter necessariam, ut lex prudenter, & rectè constitutur. Quia res est valde grauis, & pendet ex multarum circumstantiarum consideratione, quæ facilius à multis, quam ab vno attenduntur, & ob eandem causam necesse est, ut fiat lex suffragio virorum prudentium, qui & periti sint, & timorati, ut habetur in l. *humanum*, C. de leg. vbi Imperatores profitentur, nõ aliter esse legem aliquam promulgatores, quam p̄is indicent, hoc non esse absolute necessitatis, sed prudentiæ, & benignitatis. Vnde in rigore loquendo hæc solemnitas non est de necessitate legis: nam si Princeps solo arbitrio proprio ferat legem, valida erit, dummodo aliàs iusta sit. Quia neque ex natura rei illa solemnitas est necessaria, neque aliquo speciali iure est præscripta. Antecedens quoad priorem partem de iure naturali patet, quia illa consultatio solum requiri potest, ut lex sit iusta, & rationi consentanea; si ergo contingat, sine aliorum consilio Principem attingere iustitiam æquitatem

LEZ  
STIO  
UTI  
MULL

tatem & publicam vtilitatem in lege ferenda, non o-  
berit valori eius omifio prauia consultationis, licet  
fortaffe male faceret Princeps suam præcipitando  
sententiam, cum periculo errandi, & cum scandalo.  
Quoad alteram verò partem de iure positio proba-  
tur, tum quia nullum extat; tū etiam, quia licet exi-  
steret, ipse Princeps posset illud mutare, vel secum  
pro tunc dispensare validè, etiam si in hoc peccaret.  
De quo puncto videri potest Bartol. in l. omnes populi,  
ff. de legib. & Iafon in l. de constit. prin. n. 1.

Bartolus.  
Iafon.

4. Atq; hinc vterius sequitur, ad legem constituen-  
dam non esse per se necessaria suffragia multorum,  
quia voluntas Principis sufficit. Hoc autem, vel for-  
maliter (vt sic dicam) intelligendum est, vel ad mo-  
narchiam est restringendum, in qua potestas legisla-  
tiua sit in vna persona: nam tunc sola voluntas eius  
est de substantia legis. Vbi verò regimen est multo-  
rum constitutum vnum tribunal, tunc multorū  
suffragium necessarium est, non per modum solem-  
nitatis accidentaria, & præambulæ, sed propter sub-  
stantialem constitutionem legis, quæ non pendet ex  
vna tantum persona, sed ex congregatione constante  
ex multis. Tunc autem dicimus, legem illam cōstitui  
ab vna persona ficta, & ita formaliter (vt sic dicam)  
vno consensu constitui. Et ideo necesse est, vt omnes,  
qui suffragium decisiuum habent, vocentur, quan-  
tum commode fieri possit, argumento l. 2. C. de de-  
cur. l. 10. vel sufficit conuocare eos, qui in vrbe suo  
loco tunc adsunt, dummodo duæ partes totius cor-  
poris præsententur, argumento l. nominationum, eod-  
dem tit. & l. nulli, ff. quod cuiusq; vniuers. Et ex eisdē  
iuribus constat, oportere, vt simul congregentur ad  
legem constituendam per modum vnius corporis.  
Non verò oportet, vt omnes consentiant; sed quod  
maior pars curiæ fecerit, perinde habetur ac si ab  
omnibus factum fuisset, iuxta l. quod maior, ff. ad mu-  
nicip. quod rectè Glossa exponit de his, qui conuene-  
runt. Idem in l. aliud, ff. de regulis iuris. In iure autem  
Canonico addi solet, vt consentiat etiam sanior pars  
c. 1. de ijs, quæ fi. à mai. part. cap. Sed illud est speciale  
in rebus Ecclesiasticis, vt vbi notat Abbas nu. 3. & 11.  
secundum civile autem ius illa censetur sanior pars,  
quæ est maior totius confessus, vt notauit Felin. cap.  
cum omnes, de constit. num. 19. & seq. vbi plura de hoc  
puncto videri possunt.

L. nomina-  
tionum.  
L. nulli.

Abbas.

Felin.

5. Lex huma-  
na scripta  
alia, alia  
non scripta.

Alia diuisio  
legis.

6. Conclusio.

Nihilominus dicendum est, licet optimus modus  
ferendi legem sit in scripto, non esse tamen hoc de  
substantia, & valore legis. Prima pars probatur primo  
ex communi vsu. Secundo, quia oportet, vt leges  
sint stabiles, ac proinde, vt signis permanentibus fe-  
rantur. Tertio, quia sepe necessarium est expendere  
propria, & formalia verba legis, quod non potest  
moraliter fieri, nisi sint scripta. Nihilominus proba-  
tur altera pars, quia hæ rationes tantum sunt con-

gruentiæ, & maioris vtilitatis; non tamen probant  
absolutam necessitatem ex natura rei. Quia expres-  
sum præceptum sufficienter potest verbo ferri, & pub-  
licè proponi, & per traditionem ab vno in alium  
cōseruari. Imò Christus Dominus ita tulit præcepta  
sua; & aliqua non fuerunt in diuinis literis scripta.  
Hoc verò facilius ipse potuit agere, quàm humani le-  
gislatores, quia potuit ea scribere in cordib; & quia  
per Spiritum sanctum ita regit Ecclesiam Catholi-  
cam, vt non sinat eam talium præceptorum obliui-  
sci. Atq; hæc resolutio, scilicet scripturam non esse de  
substantia legis, communis est, vt patet ex Rota, tit.  
de constit. decis. 1. in nouis, & ex Panormit. Decio, Fe-  
lin. & alijs in titulu, seu rubr. de constit. & Ioan. Andr.  
in regula, nemo potest, de regul. iur. in 6. & sumitur ex  
Glossa in c. 1. §. postquam, verb. in scriptis; de censib. in 6.  
quatenus numerat plures casus, in quibus scriptura  
requiritur, & inter eos nō ponit legem. Probari tan-  
dem potest ex c. institutionis, 25. q. 2. ibi; Sine qua scripto  
decreuimus, siue qua in nostra præsentia videntur esse dispo-  
sita. Idemq; supponitur inc. 1. de renunt. in 6. Hoc ve-  
rò intelligendum est, nisi oppositum fuerit cōsuetu-  
dine præscriptum, quia cōsuetudo facere potest ius.  
Oportet autē vt legislator non habeat potestatem  
derogandi consuetudinem: nam si hanc potestatem  
habeat, & suam voluntatem sufficienter exprimat,  
valida erit lex solo verbo præscripta, non obstantē  
consuetudine.

Vterius verò circa eandem partem superest in-  
quirendum, quæ forma, vel expressio verborum ne-  
cessaria sit vt lex sufficienter edita censetur, siue illa  
scripta sint, siue voce prolata. In quo dubio genera-  
tim loquendo, solum dicere possumus debere esse ta-  
lia, vt sufficienter explicent intentionem Principis  
esse ferre præceptum stabile, & commune, habensq;  
alias condiciones ad legem requisitas, & quocumque  
modo hoc fiat, illum sufficere. Primum patet, quia,  
vt in principio dixi, talis significatio est de substantia  
legis humanæ: secundum verò patet, quia nihil aliud  
est determinatum iure naturali, vel alicuius superio-  
ris. Hinc verò inferri potest, regulariter adhibenda  
esse verba præceptiua, & quia solum præceptum indu-  
cit, obligationem, & quia de ratione legis est, vt sit  
præceptum, & quia effectus obligationis odiosus, seu  
onerosus est, ideoq; ad verborum proprietatem res-  
tringendus est. Quapropter vt intelligatur superior  
ferre legem, non satis est, vt dicat, Rogo, peto, hor-  
tor, vel quid simile, nisi aliquid addat, quo magis ex-  
plicit obligandi intentionem. Sic dixit glos. in cap.  
rogo, n. q. 3. ibi positum esse verbum rogandi pro ver-  
bo mandandi contra propriam significationem, forte  
quia ibi Pontifex rogat, hortatur, & monet ad id,  
quod sine peccato aliter fieri non poterat. Verumtam-  
en in his, & similibus decretis, non oportet verba  
improprie accipere, quia in eis Pōtifex, vel Princeps,  
hortatur subditos, vt impleant, quod alijs tenentur,  
tamen ex vi talium verborum nouam obligationem  
non imponit. Et hæc exhortatio solet à Iuritis (vt su-  
prà dixi) vocari consilium reuerentiæ, quod non est  
nouum præceptum, sed modesta, & paterna petitio  
obseruantie obligationis, quæ iam inerat: & sic lo-  
quitur glos. in Clem. 1. de testib. verb. exhortatur. Et itq;  
optimum exemplum in Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de re-  
format. ibi; Sancta Synodus hortatur, vs coniuges ante be-  
nedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem  
domo non cohabitent. Quæ verba legem obligantem  
non continent, vt omnes intelligunt.

Oportet ergo, vt verba legis constitutiua præce-  
ptiua sint; possunt autem distingui: nam quædā præ-  
ceptum proferunt quasi in actu signato (vt sic dicam)  
alia in actu exercito. Priora quoad præcepta affirma-  
tiua maximè sunt verbum, præcipio, vel impero: hæc ce-  
nim verba esse videntur, quæ de se maximè indicare  
possunt voluntatem obligandi, vt sumitur clarè ex  
Clementin. exiit de paradiso, de verb. significat. Vbi  
Clemens de paradiso.

Reti.  
Panorm.  
Decio.  
Ioan. Andr.  
Glossa.

Cap. institi-  
tionis.  
Cap. 1. de re-  
nuntiatione.

7. Quæ forma  
verborum  
necessaria.

Dubi-  
um  
quid  
cat  
man-  
Felin.

Sicce-  
Sijner.

Sylue-  
st.

Autor.

Glossa.  
Conc. Trid.

8. Quædam li-  
gæ pro-  
prietate  
præ-  
cipio in a-  
ctu signato,  
quædam a-  
ctu exercito.

Clem. exiit  
de paradiso.

SWA  
12

No. am Pa  
pali.

Panorm.

9.  
Dubia de  
verbo legem  
particulari  
quod significat  
verbum  
mando.  
Felin.

Sicuti Papa  
Sylvestrius.

Sylvest.

Anton.

Clementis V. interpretatur, verbum *praecepti*, indicare rigorosam legis obligationem. Et idem habet Nicolaus III. in cap. *excit.* de verbor. significat. in 6. Quoad negativa vero *praecepta*, verba propria sunt, *inhibeo, prohibeo*, & similia, vt in eisdem decretis declaratur, & ex vi significationis talium verborum videtur per se manifestum. Verba item *aequivalentia* efficiunt, vt ibidem declaratur, huiusmodi autem e videtur hae, *Omnes teneantur, nemi liceat*, & similia. De verbis autem imperandi in actu exercito, vt sunt, *Facite, abstinete, omnes soluant, nemo audeat*, & similia, de his (inquam) multi dubitant, quia frequenter proferri solent per modum consilij, aut simplicis directionis, & ita Castro supra reprehendit Panormit. qui dixit, hunc modum imperadi sufficere ad legem obligantem constituendam. Sed certe opinio Panorm. valde probabilis est: nam *praecepta* superiorum ordinari feruntur hoc modo, & censetur sufficienter ferri, quia illa verba sufficienter explicant imperium. Item Concil. Tridentinum sess. 13. cap. 7. de Sacerdote, qui vtgente necessitate absq; praui confessione celebrat cum conscientia peccati mortalis, solum dicit, *Quamprimum confiteatur*, per qua sola verba legem obligantem constituit, iuxta communem intelligentiam, vt alibi ostensum est. Quapropter considerata proprietate illius locutionis, quado superior hoc modo loquitur ad subditum, & ex aliis circumstantiis, vel ex vfu aliud non constat, praecipere censendus est; & cum proportione quando decretum superioris ita fertur, & inter iura, seu leges, aut decreta praecipua inseritur, sub ratione legis ferri videtur, nisi ex aliis coniecturis oppositum constare possit.

Præterea dubitari solet de quibusdam verbis in particulari, & in primis de verbo, *mando*, quod interdum solet significare idē quod committo, & sic multas differentias constituunt iurista inter *mandatum*, & *praeceptum*, de quib. videri potest Felin. in c. *ante*, de rescrip. num. 9. sed nobis non sunt necessariae, quia consistunt in sola verbi aequiuocatione. Mandatum enim illo modo idem significat, quod delegatio vel commissio potestatis, per quam solet aliquis iudex vel procurator constitui: hic autem sumitur vt iustionem significat. Solet item verbum *mandandi* per vrbauitatem poni pro verbo *petendi*, aut *rogandi*, quo sensu vtiitur illo Sixtus Pap. in c. *mandastis vt scriberem vobis*, 2. q. 5. & Syluestrius in c. *Gulielmus Patricius nosser mandauit me ad se venire pacifice*, 23. q. 4. i. misit ad me petendo, & c. Vnde Syluest. verb. *praeceptum*, q. 2. & Armil. nu. 7. non putant sufficere simplex verbum, *mandamus*, nisi addatur geminatio, *mandando praecipim?* Anton. autem 2. p. tit. 14. c. 2. §. 3. ita videtur distinguere inter verbum *mandandi*, & *praecipendi*, vt prius leuem tatum obligationem, posterius grauem indicet; ait enim, *mandatum* sufficere ad legem obligantem tantum sub veniali culpa; *praeceptum* vero etiam sub mortali. Sed hoc nullum fundamentum habet in significatione verbi: nam si *mandatum* idem est, quod *iussio*, vel *imperium*, non est cur limitetur ad leuem obligationem, sed pro capacitate materiae obligabit, sicut etiam verbum *praecipendi* non inducet obligationem grauem, si materia non sit capax, vt infra dicitur. Dico ergo attendendum esse, quis cui loquatur, & quomodo: nam inter aequales verbum *mandandi* non solet vsurpari ab eo, qui rogat, vel petit, sed vrbauitatis gratia solet vsurpari ab eo, qui rogatur: nam petitionem accipit tanquam *mandatum*, & multo magis ita accipitur tale verbum quando superior loquitur ad inferiorem etiam passiuē (vt sic dicam.) At vero quando superior loquitur ad subditum actiuē *mandando*, sic verbum illud idē in rigore significat, quod verbum *praeceptio*, vt latē docet Felin. supra. At quia quando ponitur in lege superioris per illud statuētis, & ordinantis, in rigore sufficit ad legem constituendam, nisi ex adiunctis eius significatio distrahatur. Quia in rigore significat proprium *praeceptum*, nam est aequiualens verb. *praeceptio*, & alioqui in illa occasione constat non poni gratia vrbauitatis, nec in alia aequiuoca significatione.

ius significatio distrahatur. Quia in rigore significat proprium *praeceptum*, nam est aequiualens verb. *praeceptio*, & alioqui in illa occasione constat non poni gratia vrbauitatis, nec in alia aequiuoca significatione.

Item solet dubitari de verbo, *oportet*. Aliqui enim putant sufficere ad legis imperium indicandū, quod sentiunt Nauar. cap. 23. num. 36. praesertim in legibus Ecclesiasticis, de quibus infra, & Medin. tract. de ieiun. cap. 7. Sed ex vi verbi contrarium videtur, tum quia verbum illud potius videtur indicare iudicium de re ipsa, quam imperium, tum quia etiam per modum iudicij non declarat necessitatem, sed honestatem, vt rectē notauit Castro lib. 1. de lege penal. c. 5. documento 4. De verbo item, *volamus*, dubitari solet, quia ex vna parte videtur satis explicare voluntatem superioris, in qua consistit substantia *praecepti*. Vnde D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 2. dicit quacumque ratione constat subdito de voluntate superioris sufficere ad *praeceptum* saltem tacitum. Aliud verò verbum videtur valde ambiguum, quia nō omnis voluntas superioris sufficit ad obligandum, & in dubio sunt verba in mitiorem partem interpretanda in materia obligationis. Dico ergo ex circumstantiis considerandum esse, an cadat super obligationē, ita vt superior exprimat se velle obligare subditos: nam hoc sine dubio fati est, quia in illa voluntate est substantia legis, vt dixi. Si autem verbum, *volō*, solum explicet desiderium, & affectum superioris, non satis est ad legem. Existimo autem ab solutē prolatur in materia legis habere priorem sensum, nisi ex vfu, vel materia, aut aliis circumstantiis aliud constet. De verbo autem, *ordinamus*, & similibus clarum est per se non sufficere ad propriam legem constituendam, nisi aliq; circumstantia cogat, vt sumitur ex D. Thom. 2. 2. q. 106. art. 9. ad 2. & ex ratione facta, quod in dubijs mitior interpretatio est adhibenda. Addendumque praeterea est oportere, vt ex verbis, vel circumstantiis constet, *praeceptum* imponi, vt perpetuum, seu duraturum, donec reuocetur, quia hoc etiam spectat ad substantiam legis, vt supra diximus. Ac denique necessarium esse, vt feratur per modum communis *praecepti*, quia sine hoc etiam non esset lex.

Hinc vero nascitur dubium, an oporteat legē ferri per modum legis, vel sufficiat ferri per modum sententiae, quando ab illo fertur qui potestatem habet condendi legem. Communis enim opinio est sententiam Principis legem constituere. Ita tenet Iason. l. 1. ff. de constit. prin. nu. 1. & in l. 1. ff. de feriis, n. 23. & 24. vbi alios refert Ludouicus Gomez in Proemio ad regul. Cancellar. Gomez qu. 2. ad 1. cum Platea, quem refert in leg. neg. C. de decur. lib. 10. Idem tenent communiter Canonista cap. in causis, de re iudicata, & Felin. in rubrica de rescriptione, num. 1. qui refert alios. Et probatur primo ex lege vltima Cod. de legibus, vbi expresse dicitur, *sententiam inter partes cum cognitione datam ab Imperatore in vna causa, constituit legem in omnibus similibus causis seruandā*. Idem significatur in leg. 1. ff. de constitutione princip. vbi inter modos ferendi leges vnus est, *Quando Imperator cognoscens decreuit*, vbi addit Glossa, *dando definitiuam sententiam*. Ratio reddi potest, quia sententia Principis est veluti regula, ad quam omnes inferiores iudices conformari tenentur, sed haec est propria vis legis; ergo. Maior infinuatur, & probatur ab Imperatore in dicta lege vltima, his verbis, *Quid enim maius, quid sanctius imperiali est maiestate? Vel quis tanta superbia sa studio tumidus est, vt regalem sensum contemnat?* Quasi dicat, sententiam Imperatoris tantam habere auctoritatem, vt subditos obliget, ne in simili causa ab illa discrepent, & quoad hoc virtuale *praeceptum* obtinere, & ita habere vim legis. Potestq; confirmari ex eadem lege, quia decretum Imperatoris habet vim legis, sed sententia ab ipso lata continet decretum eius; ergo.

10.  
Dubium de  
verbo, oportet.  
Nauarr.  
Medina.

De verbo voluntas.

D. Thomas.

11.  
Dubium de

Iason.

Gomez.

Felin.

L. vlt. C. de legibus.

F 2  
110  
11  
11  
11

12. Ob officio I. 2. de legib.

COHARR.

I. leges sacratissimas.

Contra hanc verò sententiam obijci potest l. 2. C. de legibus, vbi Theodos. Imperator ait, *Quia ex relationibus, vel suggestionibus iudicantium procerum, introducta negotia statumur, &c. generalia iura non sint.* Vnde conchitur argumentum: nam illud, quod Princeps communi consilio iudicantium, seu procerum statuit, vel est sententia, vel plusquam sententia, & tamē illa dicitur non habere vim generalis legis. Confirmatur, quia Princeps ferendo sententiam in particulari causa non fungitur munere Principis dicentis ius toti reipublicæ, sed potius munus priuati iudicis in causa particulari, de qua potest iudicare secundum propriam opinionem: non ergo statim legem statuit. Vnde Couarr. in 4. p. 1. cap. 7. §. 4. num. 15. dicit, leg. vlt. C. de legibus, intelligendam esse quando Princeps, qui potestatem habet ferendi legem occasione alicuius controuersie, quæ inter priuatos contingit, legem aliquam eiusque sensum explicat & interpretatur ea mente, vt interpretatio vim legis vniuersalis habeat: non autem procedere decisionem illius legis, si simpliciter Rex ius dicens priuatis, aliquam ferat sententiam, neque significans, se illius interpretationem generalem facere, nec expressè legis verba interpretans, vt inde constet voluisse, interpretationem illam legis vim obtinere. Atque ita indicat Couarruias illam legē vltimam intelligendam esse de sententijs, per quas Princeps expressè interpretatur aliquam legem, vtique suam, vel inferioris, cuius interpretatio ad ipsum pertineat, & ita esse limitandam communem sententiam. Aliam verò legem secundam procedere de alijs sententijs omnibus, quæ talem interpretationem non continent, & ita conciliantur illæ leges, & soluitur confirmatio addita ex sententia huius auctoris. Quia quando Princeps auctoritate sua legem interpretatur, non est locus priuatae opinioni, quia Princeps certo scit suam intentionem, & mentem, quam per talem sententiam declarat. Et ideo illa interpretatio vim habet legis, seu è contratio lex ita declarata iam non obligat, neque habet vim, nisi iuxta declarationem ab auctore datam, quia eius est interpretari legem, cuius est condere, vt in eadem l. vlt. dicitur, & in l. leges sacratissimas, eod. Quando autem talis interpretatio expressè fit per sententiam aliquam ab eodem legislatore datam, etiam si in causa particulari, necesse est vt generaliter declaret sensum legis, quia non potest lex in vno negotio vnum sensum habere, & in alio omnino simili sensum alium, sed vnius legis vnus est legitimus sensus, & ille maximè est, quem auctor eius declarat.

Sed licet hæc expositio, quoad partem hanc affirmantem sententiam continentem interpretationem propriæ legis habere vim legis, certissima sit, & in illa lege vltima contenta; nihilominus videtur nimia limitatio illius legis, & communis opinionis, si ad hæc solam sententiam restringatur. Quia auctores generalius loquuntur, & verba legis generalia sunt de sententia: nam de interpretatione legis postea agere incipit. Vnde in illa priori parte non fundatur in auctoritate interpretandi, sed absolute in auctoritate discernenti. Deinde requirit causæ cognitionem, & presentiam partium, quæ solent esse necessariæ ad cognitionem facti, non ad iuris interpretationem: nam hæc æquè bene dari posset in absentia partium, & independentem à tali, vel tali facto, quod postea per particularem iudicem potest examinari ad applicandam facti iuris interpretationem. Accedit quod Glossa ibi potius intelligit, legem illam procedere in his causis, quæ non sunt decise per leges. Nam in alijs (inquit) legem seruaremus scriptam.

Vnde eadem Glossa in dicta l. 2. intelligit, legem vltimam procedere in omnibus sententijs, quæ feruntur ab Imperatore in quacumque causa, illa exactè cognita, & examinata in presentia vtriusque partis, vt in eadem lege expressè cauetur, & consequenter in

sententia lata solum in vi iuris, quod ex cognitione causæ resultat: nam tunc sententia conferens ius vni parti, vim habet legis, siue declaret priorem legem (quod fortasse frequentius eueniet) siue constituat illam, si pro simili causa non erat constituta. At verò dictam leg. 2. intelligit eadem Glossa ibi de his statutis, seu concessionibus, quas Imperator facit per modum priuilegij, vel in gratiam alicuius personæ propter peculiarem respectum, vel in tali tempore, aut loco, propter specialem legis, vt in eadem l. 2. consequenter declaratur, & habetur etiam in l. 1. ff. de const. princ. & est consentaneum regulis iuris 28. & 74. in 6. quod priuatae concessiones non trahuntur in consequentiam, vt in simili notauit Glossa dist. 19. in princ. estq; in re vera hæc sententia, & factis conformis illi leg. 2.

Baldus verò ibi addit, legem vltimam de legib. procedere in sententia definitiua, siue sit iuris dispositiua, siue declaratiua. Non verò in interlocutoria, de qua loquitur lex secunda, vt ipse exponit, & expressius habetur in l. 3. & hac distinctione vtuntur etiam communiter Canonistæ in c. in causis, de re iud. Sed ita eam limitant, vt eam euertere videantur: nam fatemur, si interlocutoria sit in corpore iuris incerta, habere vim legis: item si lata sit cum cognitione causæ, & in presentia partium habere etiã vim legis, etiam si non sit inserta in corpore iuris. At verò hæc conditiones requirunt etiam in sententia definitiua iuxta dictam legem vltimam: non videtur ergo necessaria distinctio. Maximè cum in l. 1. ff. de const. princ. dicatur, etiam illud, quod Princeps de plano interlocutus est, legem esse; si ergo cætera sint paria, non videtur esse differentia, quia licet sententia sit interlocutoria respectu causæ principalis, de qua tractatur, potest esse quasi definitiua, quantum ad id, quod Princeps per illam proxime statuit, vel declarat, quia in eo continere potest vltimam (vt sic dicam) eius resolutionem: si ergo de mente principis æquè constat per vtramque sententiam, eadem erit vtriusque ratio. Differentia igitur solum esse potest quasi materialis, quia facilius, & frequentius solet de hac mente principis constare per sententiam definitiuam, quam per interlocutoriam. Atq; hoc modo intellecta communis sententia verissima est.

Duo autem addenda occurrunt, vnum est, necessarium semper esse, vt ex verbis sententiæ constet, præter dictam latam esse non solum ex arbitrio prudentis, & opinatiui (vt sic dicam) sicut ferri solet ab inferioribus iudicibus, sed etiam ex potestate, & voluntate dicendi, & stabiliendi certum ius: nam alioqui priuata sententia non sufficeret, vt confirmatio supra facta rectè probat, in quo etiam bene sentit Couarr. Hoc autem, vt dixi, frequentius contingit, quando Princeps fert sententiam, interpretando aliquam legem propriam, vel æqualis, aut inferioris. Quando verò non interpretatur, sed condit noui ius, tunc necesse est, vt hoc expressius significetur in sententia, quia sententia de se non est constitutiua iuris, sed declaratiua, quia de se cadit in factum præteritum, vel ius acquiritum, seu præexistens inter partes litigantes: iudicium autem cadens in præteritum ordinariè est declaratiuum potius, quam constitutum iuris, nisi aliud explicetur. Vnde sæpe etiam contingere potest, vt Princeps per talem sententiam non interpretetur ius humanum, sed naturale: & tunc magis dubium erit an talis sententia legem constituat, quia Princeps non habet maiorem potestatem interpretandi ius naturale, quàm ratio eius probauerit. Quia in hoc magnum est discrimen inter interpretationem legis naturalis, & ciuili: nam interpretatio legis ciuilius procedit non solum ex scientia, sed etiam ex potestate, & voluntate, quæ facit esse certam interpretationem, etiam si minus consentanea sit prioribus verbis, vel tantam mutationem facere, vt ius antiquum mutare videatur.

Noti

Non est autem ita in interpretatione iuris naturalis: procedit enim solum ex vi rationis, quae interdum non est euidentis; sed tantum probabilis, & ideo non tam facile datur cum obligatione, & praeepto sequendi illam, & ideo oportet, vt in modo ferendi sententiam clarius de hoc praeepto, & obligatione constet. Et tunc si sententia principis apertum errorem contra iustitiam, vel rationem naturalem non contineat, illi standum est, quando per modum regulae, & animo obligandi lata fuisse consuetur.

17. Alterum addendum erat, necessarium esse, vt talis sententia sufficenter proponatur, seu publicetur tanquam communis regula decidendi similes causas, quia (vt diximus) hoc pertinet ad complementum legis. Magis autem spectat ad promulgationem legis, de qua statim dicemus, quam ad editionem, seu constitutionem eius, de qua nunc tractamus. Vnus autem modus magis vtilitatis constituendi talem sententiam in statu legis esse solet, quando inseritur in corpore iuris, vt sumitur ex l. 1. C. de nouo codice faciendi. §. penult. in fine, & in iure canonico est id maxime vtilitatum, vt infra videbimus. Non videtur autem hic modus publicationis adeo necessarius, vt nullus alius possit sufficere, quia nullo iure id cauetur, nec ex natura rei sequitur. Poterit ergo alio modo sententia taliter per publica rescripta, vel per publicam famam euulgari, ita vt in ratione legis constitutur, in quo cum proportione seruandum erit, quod infra de promulgatione legis dicemus.

L. 1. C. de nouo codice faciendi.

18. Dubium. Glossa.

Felin.

Angl.

dicta  
causae

Quaeritur autem solet, an hoc intelligendum sit de sententia solius Imperatoris, vel etiam aliorum inferiorum. Nam Glossa l. 1. ff. de feriis, verb. derogare, significat, sententiam inferiorum Magistratum non facere legem, & loquitur in particulari de Praetore, vbi id notat Iason num. 23. cum Angelo, & multis alij, qui limitationem extendunt ad Reges, & alios inferiores principes, etiam habentes potestatem edendi leges. Et hoc etiam sequitur est Felin. in dicta rub. de rescript. Contrarium autem docuit idem Angel. in l. item veniunt, §. caeterum, ff. de pet. heredit. quem Iason supra, & in dicta l. 1. de const. princ. n. 6. posteriori loco refert, & non improbat. Felin. verò prius reprobat, postea ex parte illius sententiam admittit, scilicet quando sententia inferioris potentis condere leges in territorio suo, inserta est, inter constitutiones eius. Sed hoc pertinet ad modum promulgationis, & supponit potestatem ferendi legem per sententiam: hoc autem positum non est, cur modus promulgationis limitetur ad illum modum magis in his inferioribus, quam in Imperatore, seruata proportione.

19. Quocirca distinctione vtendum esse censo, qua posita facile intelligetur, in quo sensu locum habere possit prior sententia, & quomodo Angelus non docuerit contraria. Primo ergo si Magister aut inferior, qui sententiam profert, non habeat potestatem edendi leges, clarum est multò minus posse legem ferre, ferendo sententiam: tum quia semper est defectus potestatis: tum etiam, quia modus ferendi legem per sententiam nihil habet speciale, sed potius pertinet ad extensionem quandam potestatis.

20.

Solutio. dicitur de eadem rescriptis.

Deinde si is, qui tulit sententiam, potestatem habeat edendi legem, subdistingendum est, quia vel est supremus Princeps non recognoscens superiorem in temporalibus, ac talis, vt non obligetur iure communi ciuili, seu imperialibus legibus. Et in illo procedit doctrina non minus quam in Imperatore, siue ille sit Rex, vt Hispania, Gallia, & c. siue Dux supremus, siue respublica, vt Veneta, de qua videtur loqui Angel. in posteriori loco supra allegato. Ratio autem est, quia doctrina data non fundatur in speciali dignitate Imperatoris, aut Regis: sed in iurisdictione legislatiua suprema: nam ad omnem Principem, vel legistatorem habentem talem iurisdictionem, aequè spectat interpretari suam legem, ac condere, & potest Suarez de Legib.

per sententiam illam interpretari, sicut potest Imperator, vel ferendo sententiam potest per illam legem condere, si velit, & id declarat: quis enim, aut quid prohibet.

Denique talis esse potest Princeps, qui fert sententiam, vt licet possit legem ferre, superiorem nihilominus habeat, cuius commune ius seruare tenetur, & solum ex concessione eius possit aliquas leges condere; non contrarias iuri communi. Et de huiusmodi sententia iterum distinguendum est: nam si illa contineat interpretationem iuris communis supremi Principis, non poterit inducere legem, etiam pro particulari territorio inferioris principis. Quia non spectat ad illum interpretari legem superioris, etiam pro sua prouincia: tum quia esset in prauiudicium superioris, tum etiam quia lex vnica est pro toto regno superioris, ideoque vnus vniversalem debet habere sensum, quem non potest dare inferior cum auctoritate: alia possent plures ex similibus inferioribus varijs, & contrarijs modis interpretari legem pro suis prouincijs, vnde constat, multò minus posse talem sententiam, si sit contra ius superioris, habere vim legis priuatae, seu municipalis: tum quia non est concessum illi inferiori legislatori contra ius commune regni praecipere, vt supra ostensum est: tum etiam quia nec talis sententia iusta esset, vt pote iuri contraria. Et in hoc sensu videtur loquuti auctores ponentes discrimen inter supremum, vel inferiorem. Quod etiam significauit Gregor. Lopez in l. 9. tit. 13. part. 3. n. 9. vbi ait, quod licet in supremo Senatu fuerit iudicatum contra ius commune regni non est curandum, quia Magistratus non potest inducere styllum in derogationem iuris communis, & sumitur ex l. nemo, C. de sentent. & interlocut. omnium iudicum. At verò si talis sententia esset iuri communi regni conformis, & aliquid adderet ad iuuandum, vel magis confirmandū illud ius, quoad id posset legem particularem inducere, quia in hoc potest inferior legem ferre circa eandem materiam cum lege superioris, vt supra cum communi sententia dictum est. Et eadem ratione si sententia talis principis inferioris versetur in materia, circa quam nulla est lex superioris: in ea locum habebit doctrina data, nec oportet distinctionem facere inter hunc inferiorem, & supremum, quia in huiusmodi sententia segerit, vt supremus, & quia potest vt sua potestate legislatiua in tali materia, & sententiam potest satis explicare, se velle illa vti, & styllum, seu regulam inducere.

Tandem dubitari hic potest, an quod dictum est de sententia, locum habeat in rescripto, seu Epistola Principis, quod nimirum vim habeat legis, quod maxime locum habet, quando per tale responsum interpretatur aliquam legem, vel suam, vel naturalem, idemque erit, si rescribat, statuendo quid seruandum sit in aliquo negotio, vel dubio. In hoc enim Bart. in l. 2. C. de legib. negat rescriptum Principis constituere generalem legem, & in hoc differentiam quandam constituit inter Epistolas Pontificias, & regales, sed de Pontificijs postea suo loco dicemus. Sequitur Decius in rubr. de rescript. in princ. & Paul. de Castro in l. 1. ff. de constitut. princ. Fundantur in dicta l. 2. C. de legib. ibi, vel consultatione. Verius tamen est, idem esse dicendum de epist. vel rescripto interpretante dubium, quod de sententia. Quod docent Iason, Angel. Felin. & alij supra citati, & videri potest Burgos de Paz in Proem. ad leges Taur. n. 450. & sumitur ex dicta lege vlt. C. de legib. in secunda parte eius, & est expressum in dicta l. 1. ff. de const. princ. ibi, Quodcumque Imperator per epistolam, & subscriptionem statuit, vel edito praecipit, legem esse constat. Hoc autem intelligendum, & declarandum est modo dicto de sententia: nam est eadem ratio de quolibet responso Principis, quod directè decidit aliquod dubium, constituens illud responsum tanquam regulam operandam: oportet autem vt non sit concessum in peculiarem fauorem, vel priui-

21.

22.

An idem dicitur de rescripto seu Epistola principis ac de sententia.

Decius. Paulus de Castro.

privilegium alicuius personæ, vel ob particularem circumstantiam occurrentem, & ita eodem modo conciliantur iura ciuilia, vt dictum est.

CAPVT XVI.

Quæ promulgatio necessaria sit ad perfectam constitutionem legis ciuilis.

1.

Superest dicendum de tertia solemnitate legis, quam subsequentem appellauimus, cōparatione facta ad voluntatem principis, & exterius scriptam, vel declaratam aliquo signo sensibili exterius indicante illam, & circa quam suppono in primis, non esse satis priuatam Principis locutionem, seu expressionem, vt lex iam lata censetur, donec voluntas, & iussio Principis solemniter edita, & subditis propo- sita sit: hoc enim & vtroque iure humano est constitutum, vt supra lib. 1. cap. 11. ostensum est, & ipsa legis natura postulat. Tum quia est regula operationis, ad quam tota communitas se debet conformare: non potest autem habere talem rationem communis regulæ, nisi publicè sit edita, ita vt à tota communitate obseruari possit. Tum etiam quia lex est signū voluntatis Principis, qua vult totam communitatem mouere, & obligare: ergo oportet, vt tale signū publicum sit. Vnde fit, conditionem hanc ita esse necessariam, & intrinsicam legi humanæ, vt non possit Princeps, etiam si velit legem condere sine aliqua publicatione communitati accommodata, & de se sufficiente, quamuis modum eius variare possit. Quia illud prius, generatim & absolute sumptum est iure naturali necessarium, vt ostensum est. Est q̄ communitatis sententia omnium, quos referemus. Solum inueni apud Seluam, de benef. q. 22. n. 14. quod sine scriptura, sine publicatione valet lex, & ligat statim, si conditor velit, & citat Glossam in Clement. 2. de hereticis. At vero illa Glossa in verb. ex tunc, non dicit sine publicatione, sed statim à promulgatione, quod longè diuersum est, vt infra declarabo. Neq̄ aliter loquuntur Doctores in rubr. de constit. quos etiam Selua refert. Vnde etiam ille fortè in eodè sensu loquutus est, per publicationem intelligens illam, quæ longo tempore, vel certa solemnitate fit: hæc enim potest per principem immutari, vt dicemus. Explicandum vero est, quæ & qualis debeat esse hæc solemnitas, seu publica propositio, quæ solet communiter promulgatio vocari.

Selua opinio quod sine scriptura, & publicatione valet lex, & ligat statim.

2.

2. Panormit.

In quo Panormit. in c. 1. de postulat. Prælat. n. 10. distinguit, inter solemnem editionem, & publicam promulgationem, & priorem putat sufficere ad substantiam, & obligationem legis, sine secunda, quia in illo textu dicitur sub disiunctione, Solemniter editur, aut publicè promulgatur. Vnde ait constitutionem obligare statim ac solemniter in publico cōsilio editur, antequam sit publicè promulgata, ac subinde promulgationem publicam solum requiri, quando lex sine solemnitate edita est. Melius tamen dicitur, illa duo verba æquipollentia esse, & particulam, aut, positam esse pro, seu, vt frequenter fit. Vnde fieri nō potest, vt lex humana incipiat esse lex, & vim obligandi habeat priuquā sit aliquo modo promulgata publicè. Nam si dicatur edita solēniter, solum quia in publico cōsilio Regis, aut senatorum reipublicæ conscripta, vel definita est, hoc non est satis vt sit lex, vel vt obligare incipiat etiam præterites, & scientes, quia solemnitas requisita ad legem nō tantum est ex parte conditorum, sed etiam in ordine ad communitatem, & ideo non est lex, donec respectu communitatis habeat statum legis, nec incipit obligare singulos, donec possit cōmunitatem obligare. Quod optimè explicatur in legibus editis in generali concilio: nulla enim potest esse solēnior editio ante promulgationem, & nihilominus non sufficit, nisi sequatur promulgatio. Quamuis ergo lex sit edita in regio cōsilio,

Particulam, aut, positam esse pro, seu.

& ibi omnium ore prolata, vel eorum auctoritate scripta, & imò licet sit typis mandata, nondum est lex, donec aliquo alio modo publico sit communitati propo- sita, & hanc vocamus promulgationem. Si vero solēnis editio legis fit in conspectu totius populi, vt Panormit. loqui videtur, tunc solēnis editio includit promulgationem; immeritoq̄ distinguuntur. Nunquam ergo editio legis habet solēnitatem requisitam sine promulgatione; neq̄ è cōuerso promulgatio esse potest sine solēni editione, quia vel cum illa fit, vel certè additur editioni legis prius factæ, & solēmnizat illam (vt sic dicam.) Et ideo vbi illa duo distinguuntur, & diuersis actionibus, ac temporibus fiunt, necesse est, vt vtrumque concurrat. Et ita pr. mol. ita sentit Innocentius dicto cap. 1. num. 6. & hostiens. num. 21. & 22. & alij, qui copulatiuè intelligunt textum illum; nos autem vtrumque sub nomine promulgationis, vel solēnis editionis comprehendimus.

editio legis nunquā habet solēnitatem requiritam sine promulgatione, nec cōuerso.

Vt autem explicem clariùs qualis promulgatio sufficiat, ac necessaria sit, distinguo inter promulgationem, & diuulgationem legis. Promulgationem appello illam publicam propositionem, seu denunciationem legis, quæ fit aut voce præconis, aut affigendo legem scriptam in publico loco, aut alio simili modo. Diuulgationem autem appello applicationem illius primæ promulgationis ad notitiam, vel aures subditorum absentium, qui aut legere, aut audire primam illam promulgationem non poterunt: vtrumq̄ ergo explicandum est: nam re vera vtrumq̄ potest esse aliquo modo necessarium, & in vtroque oportet aliquos dicendi modos extremè contrarios cauere.

Distinctionem promulgationem, & diuulgationem legis.

Dico igitur primo: Ex natura rei non est posituè determinata certa solēnitas, vel promulgatio publica, sed hæc in legibus ciuilibus ex ipsomet iure ciuili, vel ex recepta consuetudine, vel ex voluntate expressa legislatoris determinanda est. Prima pars per se nota videtur, quia ex iure naturæ solum habemus quod hæc tenus diximus, legem humanam debere esse communitari sufficenter propositam; modus autem huius sufficientiæ non est ex natura rei definitus: ergo determinatio eius non potest ex sola ratione naturali determinari. Ad idem autem non posse posituè determinari, quia negatiuè aliquid designari potest in particulari quod ad promulgationem legis necessarium non sit, vt v. g. quod singulis subditis in particulari intimeretur, necessarium non est, vt expressè dicitur in c. 1. de postulat. Prælat. vbi omnes id notant non tanquam in iure tantum positiuo præscriptum, sed vt ex natura rei consequens: tum quia lex per se respicit cōmunitatem, & ideo respectu illius pol- latur necessaria promulgatio non respectu singulorum: tum etiam quia illa legis intimatio particularis ad singulas personas est moraliter impossibilis, & ex accidenti potest in multis impediri: lex autem considerat ea, quæ sunt per se & quæ moraliter sufficient, & ideo licet particularis notitia, vel ignorantia legis possit requiri ad accusationem, vel excusationem vniuicuiusq̄ personæ: nihilominus sufficiens promulgatio legis ex his circumstantijs non pendet. Sic ergo quoad aliquam negationem habet determinationem hæc promulgatio legis, scilicet, vt generalis sit, & modo publico fiat absque priuata intimatione: quoad illum autem modum publicum non habet positiuam determinationem hæc promulgatio ex sola rei natura.

4. Conditio.

Vnde facillè colliguntur aliæ partes: quia de facto semper necessarium est, vt hæc promulgatio determinato modo fiat, qui ad legem constituendam & requiratur, & sufficiat: aliàs nunquam posset subditos constare, quando lex sit sufficienter constituta, ita vt obliget: ergo cum hoc non sit ex natura rei determinatum, oportet, per hominem potestatem habentem constitui, ergo quoad leges ciuiles maximè id fieri

Legis ordinem promulgationem in particulari.